



**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

2. De eximia virtutum soliditate, medijsque eam acquirendi

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

quàm super 99. iustis, qui non indigent pœnitentia.

O si peccator abyssum malorum  
culpæ & pœnæ, è quibus misericorditer,  
per seriam penitentiam, liberatur;  
& bonorum gratiæ & gloriæ, quibus  
gratis cumulatur, intueretur, non tam  
hoc Angelorum gaudium miraretur,  
quàm suam stupiditatem & ingratiudinem detestaretur ! Affectus ijdem.

**II. De eximiâ virtutum soliditate , medijsque eam assequendi.**

**I. Expende , quænam requirantur**  
ad eximiam virtutum soliditatem & perfectionem, qui est finis viæ illuminatiæ. 1. Videlicet, ut rectæ seu puræ sint, quoad intentionem, seu, ut exerceantur, non ob respectum voluntatis humanum , nec ob metum supplicij, nec spem præmij, nec intuitum solius honestatis propriæ, sed honoris & beneplaciti Dei. 2. Ut magnæ seu intensæ sint quoad intentionem graduum, seu, ut absque lapsu in vitium oppositum, absque magna difficultate & periculo lapsus , cum alacritate &

gau-

gaudio, earum actus eliciantur. 3. Ut  
fortes & constantes sint, quoad exten-  
sionem ad omnia obiecta, quantum-  
uis ardua, ad omnia tempora, tam  
aduersitatis, quam prosperitatis: seu,  
ut earum actus tam externi, quam  
interni circa quemque obiecta occur-  
rentia, siue flet Auster prosperitatis,  
humanæ laudis, & diuinæ consola-  
tionis, siue Aquilo aduersitatis, vitu-  
perationis & desolationis, et quali cum  
intentionis caritate, contentione,  
alacritate, & gaudio inter grauissi-  
mas etiam ærumnarum, difficulta-  
tum, calumniarum, opprobriorum,  
tentationum, persecutionum procel-  
las constanter frequententur. O  
quam rara & quam pretiosa talis vir-  
tutum soliditas! quam raro igitur &  
eximio feroce ad illam tibi con-  
tendendum, & quidem eò constan-  
tius, quod abesse ab ea te longius ag-  
noscis! His consideratis concipien-  
dus zelus non mediocris, sed exi-  
mij conatus in virtutum studio adhi-  
bendi.

II. Quænam efficacissima media  
sint ad hanc virtutum soliditatem per-  
tingendi, cuiusmodi sunt præcipue,  
1. Vehemens & serium desiderium

6,2 *Meditationum*

eximiè in virtutibus proficiendi efficaciter excitare, & frequenter renouare, cum humili petitione gratiæ.

2. Cui magna sui diffidentia & in Deo confidentia frequentare actus internos virtutum, & quidem perfectissimos, quoad intentionis puritatem, obiectorum latitudinem, conatus intensionem, & desideriorum supra vires insatiabilitatem. 3. Conari externos earum actus, quavis oblata opportunitate, simili eximio conatu, non ex arida consuetudine elicere, & quidem non materiales, sed formales, internos externis coniungendo, & desideria vires excedentia superad-dendo. 4. Quæsita, vel vltro oblata occasione eisdem actus tam internos quam externos circa obiecta valde ardua & naturæ repugnantia viriliter conari exercere, quam perfectissime oppositi vitij vehementiam & natura reluctantiam heroicè superando, et iam tempore cuiusvis desolationis aduersitatis. 5. Post lapsum in oppositum vitium profundè se humiliare coram Deo suam fragilitatem depolare, cum intima compunctione cordis, spe veniæ, & proposito emendationis. His & similibus medijs si stre-

nuè vtereris , quam breui eximiam  
virtutum soliditatem consequereris ?  
quam clare id videbis & deflebis in  
termino viæ, sed heu serò nimis, elap-  
so tempore gratiæ ! Feruor his me-  
dijs vtendi.

I P I . Quam seriò, alacriter, & con-  
stanter his medijs vsi fuerint strenui  
æmulatores perfectissimarum virtu-  
tum Christi, & præcipuè B. V. Deipa-  
ra, præcipuum post filium omnium  
virtutum exemplar. Admirare & æ-  
mulare...

**Dé Christo eaussa exemplari perfectio- III.  
nis & soliditatis virtutum.**

L E xpende quam absolutum nobis  
Christus exhibuerit speculum  
huius eximiæ soliditatis ac perfectio-  
nis in internis virtutum actibus perfe-  
ctissime frequentandis, nempe latissi-  
mè, quoad omnia obiecta: purissimè,  
quoad intentionem : sublimissimè,  
quoad intensionem actuum: constan-  
simè, inter prospera & aduersa: insa-  
tiabilissimè, quoad heroica desideria :  
idque 1. In infantia, adolescentia, vita  
priuata usque ad annum trigesimum.  
2. Triennio, & quod excurrit, prædi-  
cationis. 3. Tempore passionis, & qui-

Gg 3 dem